

hieræ, vel hieram cum flore casisæ, vel rhabarbari, & his leuioribus sæpe euacuaretur, vt materia quæ generatur, quotidie educatur, & membra reducantur ad meliorem habitum. **Localia.** Nuxmuscata & dictamnus Cretæsis bona sunt ad resolutionem linguæ, sed præstantissimum est mel anacardinum: quod vidi in septem diebus sanare eos, qui planè loqui non poterant. habeatur ratio victus, quæ sæpè dicta est.

## CONSILIVM LXIX.

*De Paralyfi leui dextri brachij, cum vertigine, ac multis aliis symptomatis pro muliere.*

**M**ULIER annorum quadragintaquinque patitur dolorem & impotentiam mouendi brachij & manus dextræ, interdum etiam sinistra: laborat etiam in dextro pede pustulis, vel inflammatione aliquando, sed nunc cessarunt: sed tamen aliquando mouere cogitur pedem, cum non vult: & nisi moueat, dolet. Percipit & pruritus in auribus frequenter, vt sæpius cogatur eas scalpere, aliquando etiam percipit vertiginem quandam, & lipothymiam, sed magis hyeme quàm æstate: patitur & tussim, aliquando & difficultatem anhelitus. Ventriculus item imbecillus est admodum, ita vt si assumat cibum non satis conuenientem, inclinatur ad vomitum, & tamen non potest vomere: menstrua conuenientissimè effluunt. Passa plurima accidentia animi, & multa incommoda in longo & diuturno morbo mariti.

## MONTANVS.

Contigit isti mulieri, quod est frequentissimum in omnibus, qui habent membra inæqualia, ventriculum frigidum, & hepar calidum: omnes tales subiecti sunt multis ægritudinibus, & præcipuè capitis destillationibus, quia generatur multum bilis & pituitæ, quorum vapores ascendant ad caput: & hæc est ratio omnium symptomatum. Quod hepar sit calidum naturaliter, & fortasse etiam aduentitia caliditate, patet ex toto corpore, ex amplitudine venarum, colore, pilis, & de aduentitia etiam ex victu, laboribus & accidentibus animi. Ideo incæperant pustulæ circa coxas mordicætes, conuellentes & lacerantes eam, vt variè multis modis se cogeret mouere, nec stare, nec firmare membrum propter dolorè posset: color rubeus, pruritus maximus, quæ omnia signa caliditatis & sanguinis subtilioris, qui generatur in hepate ex caliditate maiore, sicut ex caliditate temperata bonus sanguis: has crebrò passa est, sed euauerunt tandem. Ostenditur ergo & esse & fuisse calidius naturaliter, & caliditate etiam aduentitia, vt impediretur ab actionibus conuenientibus nature. Quod ventriculus frigidior à natiuitate, non possum affirmare: sed quod nunc sit, apparet ex operationibus: primo aciditatem in eo percipit, quæ diminutam indicat coctionem: sequitur enim aciditas cruditatem pituitæ, quæ incipit putrescere, sed non perfectè putrescit: fundatur enim in ma-

**A**teria subtiliori frigida aciditas, modò si materia frigida ibi, signum est, quod non sit coctio, sicut fieri debebat. Ructus igitur acidi significant frigiditatem ventriculi, vt & Galenus ait: talem autem aciditatem semper passa est. Ergo ventriculus frigidus est præter naturam. Secundo dicit, se manè surgere cum cruditate, ita vt non concoxerit cœnam hesternam: quod etiam indicat frigiditatem ventriculi. Est igitur frigiditas in ventriculo, & caliditas in hepate: quæ licet nunc extinguitur decrecente ætate, & pituita ex ventriculo & capite illuc descendente, non tamen prorsus extincta est: ideò pustulæ inuadunt eam quidem, sed rarius, & minori frequentia. Tertio catarrhus falsus est, quia vapores à serosa humiditate & bile ascendunt. Caput igitur recipit vapores, cum ventriculus frigidior, & hepar calidius, fiunt multæ vaporations: quia calidum vaporosum agit in humido multo, ideò plures vapores & varij ascendunt ad caput. Quare etsi fortè aliter etiam patitur, tamen id est ab alia causa. **C**Nam membrum de duplici causa patitur repletionem, vel quia ipsum non concoquit suum alimentum, & excrementa non expellit propter debilitatem: vel propter vapores nimios ascendentes, qui distillari & expelli nequeunt: ideò destillant per aures, palatum, &c. Hic etsi cerebrum validum, tamen multæ sunt superfluitates: quia & ventriculus & hepar, & totus ambitus venarum mittunt eò vapores in maiori quantitate, qui qualitatem etiam non naturalem habent: sunt enim acriores, & ita repletur caput. An iam concurrat imbecillitas capitis, quæ adiuet? Non dixerim facillè, quin optimam formam habet naturaliter, & colorem secundum naturam, & sensoria ita quemadmodum se habere debent, vt nõ possim dicere fuisse dispositionem naturalem. Patitur nunc quidem vitium in auribus & oculis, sed tamen ea omnia integra fuere olim. Percipit & defluxum per nares & palatum, vt percipiat propter multitudinem & malam qualitatem catharri excoriationem & abrasionem gutturis. Est ergo & in capite læsio iam, ita vt illud etiam patiat per essentiam nunc, quia tam diu perseverant symptomata in sensorijs eodem modo: & ita contingit, vt symptomata quæ nunc patitur, necessariò adsint, vel etià deteriora. Vbi enim vapores illi colliguntur in capite, & in eo congelantur, vel causant ibi morbos periculosos, epilepsiam, lethargos: vel necesse est vt descendant, secundum varias vias. Vapores autem partim pituitosi, sunt à ventriculo imbecillo, partim calidi à sanguine euaporates, qui calidior est & biliosus magis propter caliditatem hepatis maiorem: faciunt ergo materiam mistam, quandoq; falsam sub forma pituitæ, sed cum falsedine: quia admiscentur vapores à serosa humiditate accedentes. Quandoque percipit, sed rarius, catarrhum amarum, ex quo arguuntur vapores non serosæ humiditatis: sed ex substantia bilis, quæ amara est, etiam quando cum pituita miscetur. Est ergo materia ex pituita insipida & humiditate serosa, quæ facit falsedine: & bile, quæ facit amaritudinem. Destillat autem ad varia membra per varias vias, interdum per la-